



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Omnes mortales posse fieri humiles, si se maioribus comparent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

mi Numinis inexplicabilem scientiam, è quo tandem sic rationem duce-  
bat. Si mea scientia, mortaliùm omnium collata scientia, instar habet  
arenule; quid habet composita Angelica? quid Seraphica? quid possibili  
creari? quid demum diuina? si tota Angelorum sapientia scintilla qua-  
dam exigua est infinita lucis; si artes omnes, & scientia, tenues sunt ad-  
umbrationes suprema sapientia, sine cuius irradiatione, omnia, in tene-  
bris, & ignorantia nocte, sepulta iacent; quid est, quòd de scientia mea,  
que adeò usque exilis est, ut propè sit nihil, mihi ipsi blanditias faciam?  
quid est, quòd ipsum me præ cæteris, tamquam amplius aliquid intelli-  
gens, extollam; quasi magnum sit inter complures rudes, minùs ali-  
quantò rudem esse, & inter luscòs rectiùs nonnihil videre? quid est quòd  
exiliam animo, si vnus aliquis minus à me in scientia habet, cum etiam  
is, alio in genere me excedat, & innumeros alios, quauis in scientia, me  
ipso superiores reperiam?

Hoc paradigma facillè potest transferri ad omnem aliam  
causam tumescendi. Places tibi nimiùm de ieiunio? Antonios  
cogita, Paulos intuere. Eliam reuolue animo, Mosen ante oculos  
statue, Christum tibi propone. Nondum 40. diebus & noctibus  
ab omni cibo & potu abstinuisti. Ita de omni virtute potes ratio-  
cinari: ita & de artibus, aut prudentia bellandi, vel imperandi.  
Bonus es miles? longè adhuc distas à Iulio Cæsare; longè ab Alex-  
andro; longè ab Hectore aut Achille; longè à Iosua, aut Gedeo-  
ne, aut Dauide. Bonus es Princeps? in memoriam reuoca itidem  
Dauidem, Moysen, Iosephum, Ludouicos, Henricos, Carolos  
Magnos, Constantinos Magnos, ipsos Angelos, qui hunc Mun-  
dum regunt, totasque à condito orbe conseruant regiones. O  
quanto te reperies ab illis distitum interuallo? An non igitur me-  
ritò, & cum veritate, te illis postpones? Quòd si igitur boni, &  
in rebus magnis laudeque dignis, rectè iudicant, cum in se iudi-  
cant esse vilitatem; quid non malis, impijs, sceleratis, superbis,  
illis, qui iustitiam pro magnitudine munerum vanalem expo-  
nunt, & tantarum sunt iniuriarum fautores, erit faciendum? quas  
non habebunt causas se vsque in infernum humiliandi? Habent  
sanè, sed rarò se humilant, vt etiam hinc sint deteriores. Iam enim  
boni esse incipient, si de se sentirent malè; quia verè sentirent.  
Sed veritas in illis non est; verum non vident. Odit ergo illos  
Deus,



Deus, quia odit vanitatem; sicut amat humiles, quia amat in humilibus veritatem.

XII.

Gregor. lib.  
9. epist. 52.

Enimuerò hic ipse inanis gloriæ metus in Sanctis quoque humilitatem conseruat. Qua de caussa D. Gregorius ad Augustinum Anglorum Episcopum ita scribit: *Scio quia omnipotens Deus, per dilectionem tuam, in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendis, Unde necesse est, ut de eodem dono calesti, & timendo gaudeas, & gaudento pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum anima, per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas vero, ne inter signa, qua fiunt, infirmus animus, in sui presumptione se eleuet; & unde foras in honore atcollitur, inde per inanem gloriam, intus cadat. Addit idem alias duas causas, ob quas animi tumor possit reprimi, etiam in illis qui miracula perpetraverunt. Restat, inquit, ut, inter ea, qua operante Deo exterius facis, semper te interius subtiliter iudices, ac subtiliter intelligas, & remetipsum, qui sis, & quanta sis in eadem gente gratia, pro cuius conuersione etiam faciendorum signorum dona percepisti. Et, si quando Creatori nostro, seu per linguam, siue per opera reminisceris deliquisse, semper hac ad memoriam renocas, ut surgentem cordis gloriam memoria reatus premat: &, quidquid de faciendis signis, accepisti, vel accepisti, hac non tibi, sed illis reputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt. Triplicem ergo humiliandi sui causam habent, qui miraculis effulgent. Prima est, metus ipse, superbiendi, de quo paulò priùs. Altera est, quòd miraculorum potestàs sit gratia gratis data, non ad sanctitatem patrantis augendam, sed ad vtilitatem proximorum: unde etiam, qui non sunt sancti, subinde miracula possunt facere: ut de ipso Iuda proditore docent, qui eum, cum ceteris Apostolis, aiunt dæmonia eiecisse. Certè ex ipsis dæmnandis, quidam dicent, in illa die: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Quid prodest homini diuitem esse in alios, pauperem sibi? immò, quid prodest homini, si vniuersum Mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? Sæpe quis alterum ad fidem Catholicam adducit, & ipse fit hæreticus. Sæpe quis confessione, aut exhortatione colloquij sue alterum ad pœnitentiam, continentiam, a quietem impellit, & ipse pœnitenda facit. Atque hæc est tertia causa,**

Matth. 7. 22.

Matth. 16. 26.

ob